

theologorum suffragiis clare habetur, et refert suo more eruditissime d. card. de Lambertinis, dein Summus Pontifex Benedictus XIV, *loc. cit.*, n. 57, ubi rectissime concludit, quod in hac causa iudicium sacrae congregationis sit exspectandum ex particularibus facti circumstantiis potissimum desumendum (146).

(120. Quod Deo favente, ipsoque venerabili ejus servo, tot novis semper in dies coruscante prodigiis, intercedente, favorabile tantum speratur, ac in claris ponitur heroica ipsius virtus, ob quam tales puellas de quarum castimonia, et continentia permulta dubitare non poterat, sibi caste desponderat: non deficientibus etiam aliorum exemplis, qui non absimili servandae virginitatis proposito obstricti, ob justos fines matrimonium contraxerunt, et castitatem illibatam in conjugio coluerunt, ut de S. Pulcheria imperatrice cum Marciano ob id ad imperium evecto, de S. Cæcilia cum Valeriano, de diva nostra Delphina cum S. nostro Elzeario Ariani comite, de sanctis Juliano, et Basilissa, aliisque pluribus, qui virginea connubia contraxerunt, atque castissime servaverunt, de quibus apud Scacchum, *De notis et signis sanctitatis*, sect. 6. p. 476 et seqq., card. de Lambertinis, *loc. cit.*, num. 57; card. Baron., in *Annalibus*, ad annum 450; Niceph.,

*Nota editorum Casinensium.*

(146) Quæritur: an conditio contraria bonis matrimonii istud vitiet, quando est honesta, v. g. si mecum vivas in perpetua castitate, si hanc voveas, etc.: non vitari per hujusmodi conditionem honestam defendunt Paludan... Abulens... Rebell... Pont... Bosco... Clericat... Krimer... Schemier... Moventur, quia jus, et obligatio ad copulam non est de substantia matrimonii, cum istud contrahatur solo consensu, l. *Nuptias* 30, ff. *De reg. jur.*, Uterius, si talis conditio non posset adjici matrimonio, non constitisset matrimonium inter B. V. et S. Josephum; ergo, etc.

Hæc sententia admodum probabilis est; probabilior tamen videtur, quæ negat matrimonium sub tali conditione contractum validum esse. Ita S. Thom., in 4, dist. 28, q. unic., art. 4, ad 3, S. Bonavent., Richard., Sotus., Covarr., Carr., Sanchez., Layman., Barbosa., Gonzalez., Konig., Zoes., Engel., Pirhing., Scambogen., Wiestner., et multi alii, sique præcipui nominis theologi et canonistæ. Colligitur ex cap. final. *De condit.* ubi Pontifex Gregor. IX, dicit, matrimonium vitari conditione contraria bono prolis, nec distinguit inter conditionem honestam, et turpem, sed vim tantum ponit in contrarietate cum substantia Matrimonii. Ratio est, quia licet de substantia matrimonii non sit copula, nec intentio illius exigendæ, vel reddendæ, est tamen de substantia illius mutua corporum traditio, vi cuius matrimonium contrahentes in se mutuo transferunt jus in corpus suum ad actus conjugales, ac proinde implicite saltem se obligant ad eos reddendos. Atqui contrahentes sub conditione servandæ, aut vovendæ perpetuæ castitatis, jus istud, et implicitum consensum ad actus conjugales reddendos appositione talis conditionis excludunt, cum vi illius ad copulam non exigendam et non reddendam obligentur; ergo, etc.

Quoad vero matrimonium B. V. cum sancto Josepho, utique B. V. cum S. Josepho contraxit matrimonium sine consensu quidem in copulam, at

lib. iv *Histor.*, c. 3, et alios passim; sicque animadversiones ratione officii a fidei promotoribus, et aliis adversus heroicam virtutis nostri venerabilis servi Dei propositæ in ejus laudem, et commendationem convertentur, et beatorum, ac sanctorum fastis (et hoc faxit Deus quod quanticus) rite et canonice finaliter ascribatur.

*Observatio R. theologi ad n. 90 et duos seqq.*

\* Ego autem in eam facile sententiam inducor, ut putem lectorem prudentem, si allata a Lucio fundamenta præsertim ex jure canonico, et civili accurate expenderit, deprehensurum ex ipsis propositis a Lucio opiniones confirmari minime posse. Nam ut scribit Cunitiali § cit., n. 5, et 6. « Dictum illud permittitur a jure civili in sola materia justitiæ ob specialia motiva declinandis lites perpetuas; et præsertim, quia possessio rei dat possidenti titulum, quo caret alter, qui versatur in eodem dubio, an res ad ipsum spectet: certum enim est, quod possidens bona fide, cœpit possidere aliquo titulo, cujus cum non adducatur manifesta injustitia, justus fuisse optime creditur. At in casu nostro in primis nullus tibi additur specialis titulus, quo dicaris absolutus ab onere, cum æqualiter lex voti possideat suam vim obligandi, ac tu possideas tuam

non sine traditione juris, et potestatis in corpus suum; quod ipsa, non obstante voto castitatis, quod habuit, licite facere poterat; quia divina revelatione certum ei erat, quod debitum conjugale ab ipsa nunquam esset exigendum, ut docet S. August. relatus canon *Beata* 3, caus. 27, q. 2. Hæc habet clariss. Schmalzgrueber ad tit. ex *De condition.*, etc. num. 119, et seqq.

Atque idem scriptor ad tit. *De sponsal.*, etc., n. 261, 262, 263. Ad dubium: « Utrum (sic ille) ad substantiam matrimonii pertineat consensus in obligationem alteri, si petat, tradendi corpus suum ad actus conjugales, ex se aptos ad generationem prolis? Negat. Pont., etc... Verum his non obstantibus, dicendum, etsi ad substantiam matrimonii non pertineat copula actualis, requiri tamen consensum in obligationem ad actus conjugales ex se aptos ad generationem prolis, saltem implicitum, et virtualem. Ita S. Thomas, *loc. cit.*, Durand., Tabien., Covarr., Henriq., Suarez., Petrus de Ledesma., Vasquez, Sanchez, Barbosa, Vallens., Pirhing., Wiest, Schemier, cum communi aliorum. Ratio est, quia matrimonialis consensus, saltem implicite, et virtualiter ferri debet in vinculum, et obligationem conjugalem. Atqui vinculum hoc, et obligatio essentialiter est non solum ad indissolubilem vitæ societatem, et cohabitationem, sed etiam ad exhibendos, si exigantur, actus conjugales: quod ostenditur: 1<sup>o</sup> Ex ipsa matrimonii institutione in paradiso, et verbis Dei illud instituentis: *Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (Gen. II, 24).—2<sup>o</sup> Ex Apostolo (I Cor. VII, 3), ubi cum finem conjugii, et obligationem ex ejus contractu ortam exposuisset verbis sequentibus: *Uxori vir debitum reddat, similiter autem uxor viro; ejus rationem subjungens, ait: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier...* (Adeoque) matrimonium initum sub conditione servandæ castitatis non est validum; quia conditio hæc repugnat substantiæ matrimonii. »

libertatem. Deinde possidet lex naturalis et divina, hominem non debere se committere peccandi periculo; necnon promissiones Deo factas esse observandas; ille autem, qui vere dubitat, an voverit, si eligat non observare votum, ecce quomodo ipso facto violat leges istas de non committendo se peccandi periculo, et de non violando voto si adsit: igitur non possidet libertas, sed possidet præfata lex naturalis. Quænam enim consequentia est: sum liber; ergo non vovi: sum liber, ergo non exstat lex? Quomodo potest hæc consequentia legitime deduci, dum habeo motiva æqualiter mihi suadentia, et me vovisse, et legem exstare? Quandoquidem id significat habere dubium positivum de existentia legis, aut voli: si igitur vere habeo motiva æqualia mihi suadentia, legem, et votum exstare, quo jure, nisi solius præsumptionis, dicere possum, lex, et votum non exstant? Respondes, quia sum liber. At id est, de quo quæritur, an sis necne liber: et cum dubites, an sis, necne liber, quo jure judicas determinate te esse liberum, nisi mera præsumptione? Explico et simul instauro dicta argumento a doctrina adversariorum petito. Cum melior sit conditio possidentis: nunc quæro, quisnam sit antiquior possidens, an Deus libertatem, et subjectionem creaturæ rationalis suo dominatui referens, an homo exercitium suæ libertatis? Deus profecto respectu hominis, quam homo respectu suimet, cum Deus et sit prima causa, et primus supremus Dominus humanæ libertatis: homo autem causa secunda et dependens; si igitur jus antiquioris possidentis est servandum contra alterum non æque antique possidentem; cum Deus sit antiquior possidens jura libertatis humanæ, in dubio an sit servandum jus Dei, et jus hominis, hoc debet cedere divino, et proinde votum observare. Explico adhuc urgentius. In dubio positivo de existentia voti, jus naturale dicitur, votum esse servandum; quod sic probo: in tali dubio æque periclitatur jus divini promissi, si votum subsistat, et non observetur; et jus humanæ libertatis, si non subsistat, et observetur: atqui in hoc concursu jus naturale dicitur, potius violatum iri jus humanæ libertatis, quam divinæ promissionis; id namque comprobant innumera exempla regis et plebei; ducis et militis; totius, et partis; in casu enim, quod alterutrum periclitari debeat in æquali rationum concursu, semper antefertur jus regis juri plebei; jus ducis juri militis; jus totius juri partis; quanto magis jus Dei juri hominis? ac proinde jus voti juri libertatis antefertendum est. »

ARTICULUS II.

*Quoad ea, quæ concernunt vota substantialia religionum regularium.*

Præstat sequentia expendere.

(1. Ad essentiam cujuslibet regularis religionis requiruntur tria substantialia vota, nempe obedientiæ, paupertatis et castitatis,

adeo ut sine illis religio aliqua proprie dicta nullatenus consistere possit: S. Thomas, 2-2, qu. 188, art. 1; et communis, ac certa aliorum: arg. cap. *Cum ad monasterium* 6, De statu monach., et extrav. Joann. XXII incip. *Quorundam* 1, De verb. signif., § *Penult.*, circa finem.

(2. Dicta tria vota sunt de essentia religionis ex jure divino, adeo ut nec Papa possit dispensare in sensu composito, quod aliquis sit, et maneat proprie religiosus, et tamen non sit astrictus tribus allegatis votis, quamvis ex aliqua gravi causa bonum commune concernente possit dispensando ex religioso facere non religiosum, et ei concedere facultatem ad sæculum redeundi, et nubendi. *Vide* verb. RELIGIONES REGULARES, nu. 8.

(3. Et ratio est, quia status religiosus secundum suam substantiam, seu essentiam, non ab aliquo puro homine, sed immediate a Christo Domino fuit institutus: Christus enim ipse homines ad tria illa consilia evangelica est cohortatus, et ad vota perpetua de illis facienda, ut colligitur de obedientia, quæ fit per abnegationem sui, et suæ propriæ voluntatis, ex *Matth.* XVI, ibi: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, etc. De paupertate, ex *Matth.* XIX, ibi: *Vade, et vende quæ habes*, etc. De castitate, *Matth.* XIX, ibi: *Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum*, adeoque dici debet, esse de jure divino, non præcipiente, sed consulente, ut docent communiter doctores.

(4. Status religiosus a Christo Domino sic institutus eo invitante, et hortante, statim ab initio Ecclesiæ fuit susceptus ab ipsis apostolis ac aliis Christi discipulis. *Vide* dict. verb. RELIGIONES REGULARES, num. 10.

(5. Dicta tria vota potius quam alia fuerunt constituta pro essentia status religiosi, quia per ea homo perfectius se consecrat, et unit Deo. *Vide* d. verb. RELIGIONES REGULARES, num. 11.

(6. Verus et perfectus status religiosus secundum essentiam cum tribus dictis votis fuit primo, et immediate institutus a Christo Domino. *Vide*, *ibid.* num. 14.

(7. Quamvis dicta tria vota pro essentia status religiosi fuerint a Christo Domino instituta, tamen eorum solemnitas a sola constitutione Ecclesiæ fuit inventa. *Vide* *ibid.*, num. 16.

(8. Unde Ecclesia, seu Sedes Apostolica potest admittere et approbare ut veram religionem etiam sine votis solemnibus, et cum solis votis simplicibus, ut expresse declaravit Greg. XIII, constit. incip. *Ascendente Domino*, statuendo, quod religiosi præclarissimæ Societatis Jesu, qui, peracto novitatu, primam professionem emittunt, pro veris habeantur religiosi, non obstante, quod non nisi simplicia tunc edant vota, et non solemnia emittant, ibi: « Nos considerantes voti solemnitate sola constitutione Ecclesiæ inventam esse, triaque hujusmodi Societatis vota tametsi simplicia, ut substantialia religionis vota ab hac Sede fuisse admissa, illaque emittentes in statu reli-

gionis vere constare. » Vide *ibid.*, n. 16.

(9. Inter dicta tria substantialia religionum regularium vota, obedientia primatum tenet. Nam si paupertas offert Deo divitias, et castitas corpus, offert obedientia ipsamet voluntatem: eo autem nobilior est votum, quo plus Deo offertur; unde Joann. XXII, in extravaganti, incip. *Quorundam* 1, De verbor. significat., § *Penult.*, circa finem, sic habet: « Magna quidem paupertas, sed major integritas, horum est obedientia maximum, si custodiatur illæsa; nam si prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur, et animo. » Vide *ibid.*, n. 11.

(10. Obedientia religiosa est votum, quo se religiosus obligat in aliqua religione a Sancta Sede approbata ad obediendum prælato competenti in omnibus, quæ cadere possunt sub virtute obedientiæ. Est in re communis. (11. Obedientia enim dicitur quasi ab audientia, sive ab audiendo præceptum superioris, ut recte notat Donatus, *Prax. rerum regul.*, tom. IV, tract. 17, q. 2, num. 1, et alii.

(12. Ut obedientia sit perfecta, Deo grata, et meritoria, requiruntur sequentes conditiones. Prima ut sit prompta, et sine mora, juxta illud psal. cxviii, ibi: *Viam mandatorum tuorum cucurri*. Unde S. Bernardus, *Serm. de virtute obedient.*, circa medium, sic habet: « Fidelis obediens moras nescit, fugit crastinum, ignorat tarditatem. » Secunda ut sit cæca, ita ut non examinentur rationes, motiva, aut intentio superioris præcipientis, et cur potius sibi, quam alteri præcipiatur: unde S. Bernardus, vel potius Guillelmus abbas, *Epist. ad FF. de Monte Dei*, c. 5, novæ edit. « Perfecta obedientia est... non discernere quid, vel quare præcipiatur, sed ad hoc tantum niti, ut fideliter et humiliter fiat, quod a majore præcipitur: » et S. Gregorius, in prim. *Reg.*, lib. II, cap. 4: « Vera obedientia nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia omne vitæ suæ judicium majori subdidit: nescit enim judicare quisquis perfecte didicerit obedire. » Tertia ut sit hilaris sine querela, et murmuratione, juxta illud *Ecclesiastici* xxxv, ibi: *In omni dato hilarem fac vultum tuum*, et II ad *Cor.* viii, ibi: *Hilarem enim datorem diligit Deus*, et ad *Philippenses* 2, ibi: *Omnia autem facite sine murmurationibus*. Quarta, ut sit humilis, seu cum humilitate fiat, juxta illud *Lucæ* xvii, ibi: *Cum hæc omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod facere debuimus, fecimus*. Quinta, ut sit fortis, seu generosa ad superandam omnem difficultatem juxta illud psalm. xxx, ibi: *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum*; et I ad *Cor.* xvi, ibi: *Viriliter agite, et confortamini*. Unde S. Basiliius in sua *Regula*, cap. 5, sic habet: « Obedientia tunc acceptabilis erit Deo, et dulcis hominibus, si quod jubetur, non trepide, non tarde, non tepide, sed viriliter, et strenue fiat. »

(13. Religiosus ex vi voti obedientiæ tenetur superiori obedire quoad omnia, quæ præcipit secundum Regulam, et consti-

tutiones sui Ordinis, sive directe, et explicitè, sive indirectè, et implicitè. *Communis*. Et ratio est, quia religiosus ad hæc omnia se obligavit eo ipso, quo professionem emisit secundum Regulam et ab obedientiam se voto obstrinxit, cum profitendo Regulam implicitè etiam se obligarit ad ea omnia, sine quibus Regula commode observari non potest.

(14. Illa autem dicuntur directe et explicitè contineri in Regula, quæ clare et expresse in Regula ipsa habentur, et illa dicuntur in ea contineri indirectè et implicitè, quæ ad Regulæ observantiam sunt necessaria, et sine quibus Regula proprii Ordinis in suo vigore conservari non potest: Layman, lib. iv, tract. 5, c. 9, n. 11; Lessius, lib. II, cap. 41, dub. 9; Busemb., lib. iv, cap. 1, dub. 4; Vasquez, n. 2, disp. 154, cap. 4; Lezana, *Summ. quæst. regular.*, tom. I, cap. 4, n. 10, et alii passim.

(15. Religiosus tenetur obedire suo superiori non solum in rebus, quas certo cognoscit esse secundum Regulam, et constitutiones sui Ordinis, sed etiam quando dubitat, an res, quæ illi præcipitur, sit vere secundum dictam regulam, et constitutiones sui ordinis, et an sit licita nec ne; dummodo non cognoscat evidentè esse malam, et illicitam. Sic fere communis doctorum, per text. in can. *Quid culpatur* 4, caus. 23, q. 1, ubi ex verbis S. Augustini sic præcise habetur: « Non enim est potestas, nisi a Deo sive jubente, sive sinente; ergo vir justus, si forte sub rege homine etiam sacrilego militet, potest recte illo jubente bellare, si vice pacis ordinem servans quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est, ita ut fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi; » et cap. *Ad aures* 5, De temporibus ordinat., ubi generaliter definitur, quod subditi in omnibus etiam in his tenentur superioribus obedire; dummodo tamen non præcipiant, quod manifestè malum sit, ad quod Glossa *ibid.*, verb. *Obedientiam* jura allegat. Et ratio est, quia superior est in possessione præcipientis, et in dubiis melior est conditio possidentis, cap. *Ad aures* 6, De præscriptionibus; cap. *In pari* 65, De regul. jur., in 6, l. *Nemo* 126, et l. *In pari causa* 128, ff. *De regul. jur.*, cum similibus. Tum quia superior habet jus certum præcipientis, quo non est spoliandus per superveniens dubium sui subditi; unde S. Bernardus, lib. *De dispensat. et præcepto*, c. 9, ait: « Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus. »

(16. Unde religiosus non tenetur obedire superiori in iis, quæ clare sunt contra suam Regulam, et constitutiones sui ordinis; nisi superior sit talis, qui possit in ipsis dispensare, et causa legitima adsit. *Communis*.

(17. Neque communiter loquendo in iis, quæ sunt supra Regulam, ut si superior præcipiat nimiam macerationem corporis,

extraordinarias mortificationes, et austeritates, et hujusmodi opera supererogatoria. Item nec in iis quæ sunt præter regulam, ut si superior præcipiat opera, quæ ex objecto, et circumstantiis sunt omnino indifferentia, et inutilia, et quæ ad institutum nihil conferunt. S. Thomas 2-2, quæst. 186, art. 9; et quodlib. 10, art. 10; S. Bernardus, *De præcepto et dispensat.*, cap. 5, al. cap. 8, ubi sic expresse habet: « Prælati jussio, vel prohibitio non prætereat terminos professionis, nec ultra extendi potest, nec contrahi citra. Nil me prælatus prohibeat horum, quæ promisi, nec plus exigit, quam promisi. » Lezana, *loc. cit.*, n. 4, et 13; Sporer, tract. 1, præmial. cap. 1, sect. 6, n. 38, testans de communi.

(18. Potest tamen superior regularis præcipere alicui subdito ambulationem, honestam recreationem, et hujusmodi, si hoc judicet expediens, ut talis subditus vegetior resurgat ad regularem observantiam. Item potest superior alicui subdito præcipere omissionem alicujus præcepti, regulæ, ut jejunii, recitationis divini officii, etc., si id cognoscat expedire pro aliqua differentia temporis ad ejus salutem corporalem, ut si dolore capitis vehementer angatur, si debilitate stomachi prematur, et hujusmodi, et tunc tenetur subditus obedire, ut notant communiter doctores.

(19. Item potest superior aliquam austeritatem, et mortificationem extraordinariam præcipere subdito tum ad puniendum crimen commissum, tum ad recidivam præcavendam, et tunc tenetur subditus obedire, quia hoc expedit ad regulæ observantiam. *Communis*.

(20. Regulares utriusque sexus professi in religione relaxata tenentur obedire superioribus illam reformantibus in votis essentialibus, et in iis, quæ ad primævam regulæ observantiam conducunt. Vide verb. *REGULARES*, art. 2, a n. 73 ad 84.

(21. Hinc capitula generalia, aut provincialia, sicuti et prælati, quibus incumbit pro toto ordine, vel provincia constitutiones, et statuta condere, possunt certas abstinentias, aut austeritates imponere, quamvis in regula nec explicitè, nec implicitè contineantur, si id expedire videatur pro majori regulæ ac constitutionum ordinis observantia; et tunc tenentur subditi in supradictis obedire, cum votum obedientiæ obliget ad ea, quæ ad regulam, vel ad regularem observantiam pertinent, ut docent communiter doctores cum S. Thoma 2-2, quæst. 104, artic. 5.

(22. Religiosi tenentur obedire prælati jubentibus, ut eant ad commorandum in aliquibus monasteriis aeris intemperie laborantibus. Id enim est regulæ conforme et necessarium pro conservatione conventuum, seu locorum regularium; dummodo tamen superiores in his non ducantur aliqua passione, aut mala voluntate, quia si subditus aliquis certo sciret superiorem hoc illi præcipere solum ex odio, et mala voluntate erga ipsum, posset non obedire, quia superior

tunc abuteretur sua potestate, et consequenter peccaret, in peccatis autem subditi non tenentur obedire: Laurentius de Peyrinis, tom. I, quæst. 1, *De obedientia*, cap. 11; Henno, tom. II, tract. 3, *De religioso*, disp. unica, q. 9, concl. 2, resolut. ult.; Lezana, *loc. cit.*, n. 16; Donatus, *Prax. rer. regular.*, tom. IV, tract. 17, q. 23, n. 5, et alii. Dicitur tamen notanter: *Si subditus aliquis certo sciret*, quia si solum de hoc dubitaret, tenetur obedire per dicta, et jura adducta supra n. 15.

(23. Item tenentur subditi religiosi tempore pestis, aut alterius mali contagiosi obedire prælati præcipientibus sibi, ut ministrent in spiritualibus et temporalibus suis religiosis tali morbo, seu malo contagioso infectis: Lezana, *loc. cit.*, n. 19, cum aliis ibi allegatis, Henno, *loc. cit.*, resolut. 10, et alii communiter cum Mastro, *Theol. moral.*, disp. 14, quæst. 1, art. 3, num. 27. Et ratio est, quia id spectat ad bonum commune religionis, quam professi sunt. Notant tamen recte doctores, debere tunc superiores eligere ad id religiosos robustiores, ac minus utiles, et quidem pro ministeriis corporalibus primario laicos, cum id, ut de se patet, exigit bonum commune religionis.

(24. Non tenentur tamen religiosi regulariter, et per se obedire prælati præcipientibus, ut ministrent similibus infirmis extraneis cum periculo vitæ, sicuti cum tali periculo tenentur obedire et servare suis religiosis sic infirmis. Præceptum enim, ut subditi religiosi serviant extraneis peste infectis cum periculo propriæ vitæ, non est secundum regulam, sed supra illam. (25. Dicitur autem notanter *regulariter, et per se*, quia per accidens, et in casu, quo deessent parochi, qui illis sacramenta ministrarent, vel qui ob multitudinem infirmorum non sufficerent ad id præstandum, tunc tenentur religiosi obedire, et sacramenta ministrare etiam ipsis extraneis. Et ratio est, quia id non est supra regulam, sed potius illam concernit, cum religiosi, præsertim Mendicantes, et alii, quorum institutum est salutem proximorum incumbere, sint coadjutores episcoporum, et parochorum in salute proximorum procuranda, et ob id fidelium elemosynis sustententur: Rodriguez, tom. III, qu. 31, art. 3 et 4; Sanchez, lib. ix in *Decalog.*, cap. 2, n. 54; Lezana, *loc. cit.*, n. 19; Mastro, *loc. cit.*, cum pluribus aliis ibi allegatis, et alii passim. (26. Qui omnes una cum S. Thoma, opuscul. 18, cap. 12, ob easdem rationes idem concludunt de tempore hæresis, quæ est perniciosissima pestis spiritualis animæ, nempe teneri religiosos obedire prælati suis præcipientibus, ut assistant aliquibus locis ad prædicandam, et contra hæreticos defendendam fidem catholicam etiam, cum periculo propriæ vitæ.

(27. Quamvis religiosus non teneatur obedire superiori præcipienti actus mere internos, et nullam habentes connexionem cum actibus externis, ut sunt actus fidei, spei, charitatis, et hujusmodi, cum actus

interni per se, et directe non subiciantur legi humanæ, sed soli Deo, secundum illud Apostoli *I ad Cor. iv*, ibi: *Nolite ante tempus iudicare, donec Dominus manifestet consilia cordium*; et solus Deus sit secretorum cognitor, et Judex; psal. vii, ibi: *Scrutans corda et renes Deus*; et *I Reg. xvi*: *Homo videt ea quæ patent, Deus autem intuetur cor*. Unde recte dicitur, quod Ecclesia non iudicat de internis et occultis, cap. *Tua 34*, De Simonia, cap. *Erubescant 41*, distinct. 32, et S. Thomas 2-2, quæst. 104, artic. 5 in corpore, expresse dicit: « Et ideo in iis, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed solum Deo. » Tenetur tamen religiosus obedire superiori præcipienti actus internos, prout connexionem habent cum actibus externis, cum sic per accidens, et indirecte subsint iudicio humano, et possint præcipi, ut patet ex Clementin.: *Ne in agro 1*, § *Quia vero*, De statu monachor., ubi excommunicantur monachi ad curias principum accedentes animo offendendi suos prælatos, ubi ut vides, non prohibetur animus offendendi, ut est actus interior simpliciter, sed prohibetur animus offendendi, ut est conjunctus cum tali accessu, ita quod prohibetur talis accessus, non cuiuslibet, sed habentis talem animum offendendi et nocendi. Sic in cap. *Commissa 25*, De election. in 6, constituitur, ut qui parochialem ecclesiam obtinuerit sine voluntate ascendendi ad presbyteratus ordinem, beneficium ipso jure amittat, et fructus non faciat suos: ubi non condemnatur defectus voluntatis ascendendi ad presbyteratum, ut est actus interior simpliciter, sed ut est conjunctus cum assecutione parochialis Ecclesiæ. Eadem ratione prælati regulares possunt subditis per obedientiam præcipere, ut quas celebrant Missas, pro sua intentione offerant: nam in tali præcepto, et similibus non præcipitur applicatio Missæ, ut est simpliciter animi motus interior, sed præcipitur idem interior animi motus, ut conjunctus cum actu exteriori celebrationis Missæ. S. Thomas 2-2, qu. 104, art. 5; Angelus, in *Summa*, verb. *Obedientia*; Tabiena, eod. verb. *Obedientia*, n. 4; Silvester, eod. verb., q. 1; Reiffenstuel, *Theolog. mor.*; tract. 2, dist. 1, a n. 46 ad 50; Sporer, tom. I, tract. 1, præmial. cap. 3, n. 39 ad 44, et alii passim.

(28. Religiosi ex vi voti obedientiæ tenentur obedire in his, quæ concernunt regulam, non solum prælati religionis, sed etiam specialiter Summo Pontifici, non solum quatenus est caput Ecclesiæ, quo titulo omnes etiam sæculares ei obedire tenentur, sed specialiter etiam ratione voti obedientiæ emissi in regulari professione. S. Thomas 2-2, q. 186, art. 5, ad 3 et alii communiter. Et ratio est, quia votum obedientiæ per se primo, et principaliter fit Romano Pontifici tanquam generaliissimo omnium religionum, cum omnis potestas jurisdictionis generalium, aliorumque prælatorum religionum ab illo dependeat; et ea prælati regularibus in approbatione religionum censea-

tur concedere, dependenter tamen semper ab ipso.

(29. Item ex vi voti obedientiæ tenentur religiosi obedire sacræ congregationi super regulares, quia dicta congregatio fuit instituta a Sixto V in supremum ac summum tribunal omnium regularium pro bono regimine, et felici gubernio eorundem, ut patet ex ejus constitut. incip. *Æterni Dei*. (30. Unde dictum tribunal censetur esse intra ordinem, ac stante dicta constitutione potest regularibus omnibus præcipere auctoritate ordinaria, dependenter tamen a Papa: Sic Donatus, t. IV *Prax. rerum regul.*, tract. 17, q. 27; Thomas a Jesu, tract. 3, *De visitat. regul.*, cap. 17, n. 7; Lezana, *loco cit.*, cap. 4, n. 31, et alii. Idem etiam propter eandem rationem dicendum venit de sacra congregatione super disciplina regulari erecta ab Innocent. XII, constitut. incip. *Debitum pastoralis officii*.

(31. Item ex vi voti obedientiæ tenentur religiosi obedire sacro collegio Cardinalium tempore Sedis vacantis. Dictum enim sacro colleg. eo tempore succedit in locum Papæ, adeoque tenentur religiosi ei obedire eodem modo et eadem obligatione, sicuti et Papæ Donatus, *loc. cit.*, q. 29; Peyrin., t. I, privileg. 2 Sixti IV, n. 11, et alii.

(32. Item ex voto obedientiæ tenentur obedire episcopo religiosi illorum conventuum, qui episcopi jurisdictioni subsunt, ut declaravit sac. congregat. super statu regularium, die 27 Julii 1637, quæ ad 4 dubium ex citatis super subjectione nonnullorum conventuum correctioni, visitationi, et omnimodæ jurisdictioni ordinarii tanquam Sedis Apostolicæ delegati, quod erat, ut sequitur: « Quarto, an episcopus in eisdem conventibus se ingerere possit in his, quæ regularem disciplinam concernunt? » Sacra congregat. ad quartum respondit posse. Quam responsionem, ac declarationem una cum aliis ad se relatis Alexander VII approbavit, et ab omnibus, ad quos pertinet, observari præcepit, contrariis quibuscunque non obstantibus.

(33. Si in aliquo conventu episcopo subiecto contraria præcipiant superior, et episcopus, subditus in illis, quæ spectant ad regulam, et constitutiones ordinis ordinarie loquendo tenentur obedire superiori, quia in hujus manibus vovit obedientiam secundum regulam. In aliis autem, quæ spectant ad disciplinam ecclesiasticam, tenentur obedire episcopo, quia ad illa superior ipse est episcopo subiectus. (34. Si tamen episcopus cum causa rationabili dispenset circa statuta, et constitutiones dicti conventus, et tunc præcipiat, debet subditus obedire episcopo. La Croix, l. iv, n. 160, citans S. Thomam, Augustinum aliosque cum Silvio, part. 1, verb. *Abbas*, casu 3; et colligitur ex responsione dictæ sac. cong., ad 12 et 13 dubium. Vide verb. *Conventus*, art. 2, ubi afferuntur dicta dubia cum suis responsionibus.

(35. Duobus prælati diversa præcipientibus, si ipsi sunt diversæ auctoritatis, debet subditus obedire majori, relicto minori,

si minor a majori dependet, nempe Summo Pontifici, et dictæ sacræ congr. et collegio Cardinalium Sede vacante, omissis omnibus superioribus ordinis, patri generali, omisso provinciali, et huic omisso superiore locali, et sic de aliis: *Communis*, textu expresso in c. *Quæ contra 2*, dist. 8, ibi: « Major potestas ad obediendum præponitur, » et can. *Qui resistit 97*, caus. 11, qu. 3, ibi: « Ipsos humanarum rerum gradus advertite, si aliquid jusserit curator, nonne faciendum est? Tamen si contra proconsul jubeat, non utique contemnis potestatem, sed eligis majori servire. Rursus, si aliquid ipse proconsul jubeat, et aliud imperator, nunquid dubitatur, illo contempto, isti esse serviendum? »

(36. Regulares ex vi voti obedientiæ tenentur adimplere præcepta a Prælate imposita etiam existentibus illis extra provinciam, seu monasterium illius: Sic Donatus, tom. II *Prax. rer. regul.*, tract. 10, *De potestate prælator.*, qu. 45, et tom. IV, tract. 17, *De voto obedientiæ*, qu. 34, cum pluribus ibi allegatis: Silvest., verb. *Excommunicatio 2*, nu. 15, dub. 4; Lezana, *loco cit.*, num. 37; Pellizar., p. I *Manual.*, tract. 4, sect. 4, num. 141, q. 13; Cornexo, tom. II, *in tertia part. S. Thomæ*, tract. 5, *De censur.*, disp. 3, dub. 2, et alii. Et ratio est, quia prælati religiosorum non habent territoria divisa, sicut episcopi; sed eorum jurisdictionis est in ordine ad personas subditas secundum se, et ubicunque sint, ita ut possint suos subditos ubique gentium existentes citare, incarcerare, et excommunicare nullo habito respectu ad proprium territorium, et subditi teneantur obedire, cum votum obedientiæ inhæreat ossibus religiosorum, illorumque personas sequatur, ut lepra leprosum, ut recte cum aliis advertit Donatus, *loco cit.*

(37. Non tenentur tamen regulares obedire suo superiori excommunicato publico, et non tolerato, quia tunc superior caret jurisdictione in subditos. Imo neque possunt tunc subditi licite obedire superiori sic excommunicato, quia hoc esset cognoscere in illo potestatem jurisdictionis, quam non habet, et communicare cum illo, quod non licet, c. *Nuper 29*, c. *Si aliquando 41*, De sentent. excommun., cum similibus; Donat., cit. tom. IV, tract. 17, q. 35; Lezana, *loco cit.*, n. 38; Cornexo, tom. II, *in tertia part.*, disp. 10, *De excomm.*, § 5; dub. 1, et alii passim.

(38. Papa potest eximere quemcunque religiosum ab obedientia inferiorum prælatorum, et sibi reservare. Hoc enim ei competit jure supremi prælati religionum, quod ipse habet: *Communissima*.

(39. Item P. generalis, vel provincialis potest ex justa causa eximere subditum ab obedientia sui immediati superioris, et sibi reservare; habent enim ipsi in inferiores superiores absolutam jurisdictionem: *Communis cum Donat.*, *Tract. var. resol.*, q. 48.

(40. Regulares nequeunt licite acceptare

episcopatum, vel aliam dignitatem extra ordinem sine licentia superioris: *Communis* per text. in can. *Cum sit necessarium 5*, caus. 18, qu. 2, et cap. *Si religiosus 27*, De election., in 6, cum similibus. Religiosi enim non habent velle, nec nolle, cit. cap. *Si religiosus 27*, De election., in 6, cap. *Religiosus 2*, De testam. in 6; cap. *Religiosi 3*, De sepult., in 6.

(41. Moniales ex voto obedientiæ tenentur obedire abbatissæ, seu priorissæ monasterii: abbatissa enim potest præcipere monialibus in virtute sanctæ obedientiæ, et præcepta formalia ac spiritualia imponere, quæ in conscientia obligent: quia licet utpote femina sit incapax jurisdictionis, et potestatis spiritualis spectantis ad claves, et dependentis ab ordine, ut est potestas censuras ferendi, absolvendi, et hujusmodi, est tamen capax jurisdictionis et potestatis præceptivæ, dominativæ et correctivæ spectantis ad superioritatem, ipsique annexæ, quam ei ex vi voti in professione emissi tradunt moniales, quæ ideo tenentur eidem obedire. Unde talis jurisdictio, et potestas potest competere etiam laicis, seu conversis in iis religionibus, in quibus possunt esse superiores, ut in religione sancti Joannis Dei, et in ordine fratrum Minorum; tum quia officium abbatissatus, sicuti in dictis religionibus officium superioratus, est officium ecclesiasticum, ob quod si pretium interveniat, erit simonia, qualis non esset, si nulla potestas spiritualis ei esset annexa: Donat., cit. tom. III, tract. 17, qu. 3; Sanchez, lib. vi *Summ.*, cap. 1, n. 23; Suar., tom. IV *De relig.*, tract. 9, lib. 1, cap. 12, n. 9; Tamb., *De jur. abbatiss.*, disp. 12, qu. 5, n. 3; Melphi, in *Comment.*, cap. 11, statut. 7, assert. 11; Castrop., tom. III, art. 16, disp. 4, p. 1, n. 3; Felix Potestas, tom. I, part. 1, cap. 2, quæst. 5, a n. 207; Rodriq., Lezana et alii plurimi.

(42. Superior seu superiorissa præcipere potest rem gravem sub culpa gravi, et levem sub culpa levi, et quamvis possit quandoque præcipere rem gravem sub culpa levi, nunquam tamen rem levem sub culpa gravi, cum non possit legislator materiæ capacitate excedere, et materia levis sit incapax obligationis gravis. Vide art. antecedent. a n. 39, ad 43. Cæterum superior, seu superiorissa non censetur velle obligare subditos, vel subditas sub gravi, nisi in præcipiendo utatur verbis: *In virtute sanctæ obedientiæ, in virtute Spiritus sancti, In nomine Jesu Christi, sub præcepto formali*, et hujusmodi; si autem alia forma utatur, censetur velle obligare solum sub culpa veniali, et interdum etiam nulla; quod colligi potest ex modo præcipiendi, et ex quantitate, et qualitate rei præceptæ, ut advertunt doctores communiter.

(43. Paupertas religiosa est votum, quo religiosus in aliqua religione a S. Sede approbata voluntarie abdicat a se dominium, et proprietatem omnium rerum temporalium, et omne jus civile ad illas. Est in re communis.